



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non  
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu  
peragi possint

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

§.1. Meditationis natura & partes.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)



## PARS TERTIA.

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non peraguntur, vel fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu peragi possint.

### CAPUT PRIMUM.

#### *De Meditatione.*

**Q**uia ad nil juvat in tanta ascetarum copia crambem toties coctam recoquere, adverti autem, quod non semper ea, quæ S. P. N. in lib. Exercit. Directorium in exercitia, alique ascetæ nostri de vario meditando ac considerandi genere tradidère, feliciter occurrant memoriæ, dum à sæcularibus ideo de variis interpellamur. In hoc *Vademecum* pro supplemento memoriæ aliqua delibare placuit tribus sequentibus §. §.

A

§. I mus.

§. I mus.

*Meditationis natura & partes.*

**M**editatio est actio religiosa, per quam ex discussione alicujus historiae, sententiae, parabolae, regulae, praecipii, & cujuscunque demum supernaturalis veritatis voluntas ad pios affectus, vitaeque reformandae serium propositum excitatur, gratiaque ad illud exequendum à Deo vel immediatè, vel per intercessionem B. V. Angelorum & Sanctorum postulatur. S. P. Noster meditationem vocat exercitium animae potentiarum scilicet memoriae, intellectus & voluntatis. Ità tamen, ut memoriae nomine per analogiam tam apprehensio, quàm judicium de veritate aliqua intelligatur; & sic ad eam pertineat non tantùm repraesentare mysterium vel veritatem, sed etiam personas, verba, desideria, facta expendere; & judicium de iis ferre. Per intellectum verò sola ratiocinatio seu discursus indigetetur. Qui dein voluntatem ad varios affectus pertrahat. Congruè etiam ab aliis meditatio dicitur esse nervosa quaedam Concio privati hominis ad semetipsum; & hinc partibus quatuor constat.

*1ma* est quasi *Exordium* (in quo Orator debet excitare & praeparare animos suorum Auditorum ad ritè percipienda, quae diciturus) & hoc consistit in oratione praeparatoria [in qua] *petimus à Domino gratiam; ut vires atque operationes*

*Solida devotionis exercitia.* 3

*tiones nostra omnes sincerè ad ejus gloriam & cultum tendant.* Ità S. P. N. ] & duobus præludiis. Primum est ratio quædam componendi loci secundum materiam substratam ipsius meditationis. Alius enim locus tibi fingendus est, dum meditaris de 4. novissimis, de peccatorum fœditate, &c. & alius, dum de Christo, cælo. Illa autem imaginatio vivaciter impressa multum contribuit ad distractiones & animi evagationes impediendas. Secundum præludium est; *ut à Domino id postules, quod tibi expedit juxta præposita contemplationis argumentum.* Ità S. P. N.

*2da Pars* est quasi *Propositio* consistens in exercitio memoriæ modo suprâ explicato. Scilicet, ut non tantum recolatur veritas vel mysterium meditandum, sed & expendendo personas, verba, facta, judicium de iis feratur, & sic ad rationationem via planetur.

*3tia Pars* est quasi *Confirmatio*, & est rationatio solida, nervosa etiam operosa (dum necesse est) de veritate vel mysterio proposito. Quæ vel ad singula puncta, vel in fine ex voluntate eliciat potentes affectus amoris, aversionis, humiliationis, gaudii, tristitiæ, &c.

*4ta Pars* est quasi *Peroratio* seu *Epilogus*; in quo sicut Orator, repetitis rationibus & affectibus per concionem sparsis, animum auditoris omninò conatur expugnare, & ad hæc illa vel facienda vel omittenda efficaciter impellere; ità sibi per privatam concionem hoc est meditationem, resumptis pariter rationibus & affectibus per decursum meditationis habitis, homo

inculcat hæc illa, & quidem eodem die in praxin redigenda in his illis occasionibus, circumstantiis; per hæc illa media, per hujus illius passionis vitii suppressionem, & virtutis implantationem, &c. Hujus autem naturæ meditatio non convenit omni modo seu praxi, de qua modò agetur, meditationem instituendi.

§. 2<sup>us</sup>.

*Varii modi & praxes tum faciliores, tum operosiores meditationem instituendi.*

*Tres modi orandi à S. P. N. suggesti.*

**P**rima Praxis consistit in tribus modis orandi à S. P. N. suggestis, & est accommodatior sive pro indoctis, sive pro iis, qui caput debile & fatigatum habent. *Primus Modus est:* ut, præmissâ oratione præparatoriâ, v. g. decem præcepta, opera misericordiæ, regulas, vitia capitalia, virtutes theologicas, aut alias morales, &c. percurras; examines, quo pacto hæc illa servata, violata, commissa sint. De occurrentibus memoriæ delictis defectibus te accusas, veniam preceris, & gratiam petas meliùs v. g. deinceps præcepta, regulas servandi. Dein recites unum Pater & Ave. In singulis præceptis percurrendis vult S. P. N. tantùm insumi temporis, quo ter percurri Oratio Dominica posset. *2<sup>us</sup> Modus est:* ut, præmissâ oratione præparatoriâ, v. g. sumas pro materia medita-